DICTIO HABITA IN MAGNA AULA SENATORIÆ ÆDIS VELITERNÆ CIVITATIS A...

Gian Carlo Antonelli







IN hoc, nobiles Cives, veſtrum præſentia, & Senatus amplitudine ornatiſſimo loco alteras voces meas, quibus in pari publicæ lætitiæ cauſa vos fueram alloqutus, reſonare adhuc, ſpectata temporis, quod interceſſit, ratione, in opinionem adducor. Et ſanè ſpes noſtra tunc erigi videbatur, fore ut ne tam præproperè hæc eadem a Vobis eſſent

ineunda Comitia: nec ut me, jussum denuo hanc Aulam ascendere Augusti Cæsaris Civis nostri pictis facinoribus splendidam, iterum dicentem audiretis. Sed heù quàm facilè in nostris consiliis decipimur! Multa interdum lateri nostro adhærere inopinatò conspicimus, quæ credulitate bona longè a nobis abesse putabantur.

Cum nil igitur minùs, quàm de præsentium gaudiorum celebritate cogitaremus, Eminentissimus & Reverendissimus Dominus CAROLUS ALBERTUS GUIDOBONUS CAVALCHINUS *Sacri Collegii Cardinalium Decanus, Veliternensis, & Ostiensis Episcopus illam in nobis, communi animorum consensione, hac die excitavit, qua temporalis hujus Civitatis*

regi-

regiminis primordia ejus claro nomine feliciter auſpicantur. Excitavit inquàm plena dignitatis, & laudis Fama, quæ de Cardinali CAVALCHINO *longè latèque verſatur. Romæ & cæteris Gentibus in aperto ſunt ſapientis ſuæ Vitæ inſtituta, excellens ſcientiarum in muneribus egregiè actis præſtantia, eximia morum probitas, & ſuavitas, ita tamen, ut nihil de laudabili gravitate remittat. Quapropter jure quodam ſuo factum eſt, quod, hiſce ducibus, jam dìu in excelſo ſacro Cardinalium Senatu ſibi paraverat locum, donec Benedictus XIV. Pontifex Maximus illum ejuſdem Virtuti tribuendum eſſe, cum profectò dederit, juremerito exiſtimavit. Hoc autem honore, quoniam* CLEMENTI XIII., *qui di-*

vino

vino consilio concreditam sibi Ecclesiam inter rerum perturbationes sapienter, prudenterque moderatur, & regit, Carolum Albertum *ornare datum non fuit, vix gloriosi Apostolatus sui viam ingressus gravissimæ Præfecturæ accessione decoratum, auctumque voluit. Revocata enim ad mentem perspecta ejus integritate, & doctrina, ipsum Ecclesiasticæ largitatis constituit Dispensatorem.*

Verùm, quamvis magnoperè hoc argumento delecter, attamen in suorum meritorum commentationem excurrere propositum mihi non est; neque cætera animi sui ornamenta perquirere, quæ amplificationibus non egent, ne dictio mea captandæ gratiæ causa longiùs in ejusdem lau-


dibus

dibus producta videatur. Sed quia veritatem etiam in dicendo consector, hoc unum ipsa non sinit silentio præteriri, quod Cardinalis CAVALCHINUS *Purpuratis Patribus in Vaticanis Comitiis dignus fuerit visus, qui in suprema Petri Cathedra locaretur.*

Quæ cum ita sint, omnia inquàm Justitiæ, Pietati, publicisque commodis consentanea ab eo expectanda sunt, qui præstantioribus Virtutum suffultus præsidiis non potest ad nos sua non deferre beneficia, nisi vim sibi maximam faciat. Supplices itaque voces, precesque nostras pro ejus incolumitate taliter ad Deum assiduè dirigamus, ut ferventioribus votis ille nequeat a nobis deprecari. Optare etenim ipsi diutur-

nam

nam vitam, & adverſus omnes inſenſas corpori affectiones indomitam, idem profectò eſſe ſcimus, ac optare nobis diuturnam certamque felicitatem. Salus Populi eſt optimus Princeps. Dicebam.



nam vitam, & adverſus omnes infenſas corpori affectiones indomitam, idem profectò eſſe ſcimus, ac optare nobis diuturnam certamque felicitatem. Salus Populi eſt optimus Princeps. Dicebam.

